



# DE SOCRATIS STUDIO.

**S**I vnquam vlla in causa contradici mihi atque accusari mortalesque vniuersos ne in me, concitarem metuere debui, nun sane metuendum esse intelligo. Vt qui hominem infontem, infelicem, miserum, iam penè duobus ab hinc annorum milibus extinctum, singulari virtute præditum, Philosophiæ auctorem, tot sapientum magistrum, omnium scriptorum iudicio celebratū, collaudatum à Deo, atque ab eodem vindictam publica peste, ab infamibus viris accusatum, à iudicibus iratis ac peierantibus iniuste damnatum, iterum occidere tentauerim. Factum stultum contra vmbas luctari, crudele & inhumanum toties scire in miserum, impium denique pro tot meritis talem illi gratiā reddere. Quod si in irritum res cadat, cui bono hic labor cum maxima infamia coniunctus? Sin hæc legent multi, & approbabit, quis nam iam locus bonis? quod genus vitæ, quæ virtus tuta esse poterit? cum Socratem tamquam pessimum virum habituri sint mortales? Neronem verò vt optimum Principem collaudaturi? Hæc enim sunt artium immoderata quædam ostentationes ac delusiones, præstigiæque potius quam orationes quibus fidem adhibere conueniat. Illud etiam admiratione dignum est omnino. Quod vnum hominem atque cum si non optimum saltem bonū tot sæculis iam mortuum persequi totis viribus studeam, in eum omnem dicendi vim, omnia tela intendam, quorsum ista? At non tam absurda est hæc vt credunt plerique, aut inutilis accusatio? nam non tantum Socrates in hoc iudicio concider, sed cum eo omnes fucati viri, omnes imperiti doctores, omnes vanæ sapientiæ professores, omnes simulators cum hoc vno euerterentur. Et qui quod optimum est omnibus bonis viris aut eruditis aduersantur. An non hoc egregium lucrū est mundum vniuersum à tot erroribus liberare bonos euehere, & sapientes, prauos, & imperire? studiosos disciplinarum accendere, & alacres reddere? ipsas artes atque scientias in vsum reducere? splendorem vitæ mortalibus, famam, beatitudinem, atque diuinorum consuetudinem adicere? Quamobrem valeat Socrates quem mortuum non occidimus, sed homines à falsa de illo opinione merito liberare cupimus. An propter Græcolum vnum, ambitiosum atque mendacem decet, nos in perpetuis erroribus viuere? summam felicitatem huius non solum sed futuræ vitæ amittere? Homo fuit, errare potuit, hoc satis est. Homo fuit, fallere consuevit, hoc etiam satis est. Homo fuit, Græcus leuis, inconstans, ambitiosus,

mendax, & hoc satis esse debet. Si meritò accuso, cur est quod reprehendar? si immeritò, nullam pœnam neque Talionis neque maiorem recuso. Non ego Socratem in iudicium voco, non famæ detraho, nam si probus fuit hæc irrita accusatio illius famam augebit, si improbus, non est illius vlla gloria, sed inanis gloria, nec queri quisquam debet alieno spoliari. Probatus fuit Dei iudicio, de hoc videbimus. Nemo ante me illum damnauit? imò nemo sapiens, nemo probus illum approbavit: Aristoteles eum irrisorem, & ambitiosum vocat. At is verè sapiens fuit, Athenæus grauius damnat, Theophrastus, Plotinus, Ptolemæus cæterique verè sapientes illum non laudauere, aut quicumque laudauere sententias potius quam hominem laudarunt. Itaque tam omnia ex causa merito pendent, si bonus fuit. Socrates, si sancta Philosophiæ suæ præcepta. Ego damnari debeo, & criminis reus sum, si malis, si mortalium generi inutilis, nō video cur mihi mortales gratias atque etiam magnas habere non debeant. Sed iam causas necessitatis aperiat, inde accusationis capita. Dehortatur Socrates mortales ab omnium disciplinarum studio, auertitque nos ab optimo opere: ille idem suadet, vt morali disciplinæ incumbamus, hoc inane, nam voluntate potius quam scientiā optimus quisque euadit. Necessè est igitur aut nos deserere disciplinas, aut Socratem, quod nam iustus sit omnium iudicio qui vel homines se esse norint relinquere. Capita autem accusationis hæc sunt: Socratem mortalium generi plurimum his documentis, atque exemplis obfuisse. Socratem callidè non simpliciter homines à studiis liberalium artium dehortatum fuisse. Socratis vitam non pro exemplo habendam, sed plenam inani gloria, vanis concertationibus, actionibus inutilibus. Socrate omnibus eruditus bellum internecinum indixisse. Socratis imitatores, & discipulos qui in Republica versati sunt, pessimos euasisse. Nec si omnino iuste damnandus est Socrates, ob id iuste accusatum dico, neque etiam iuste damnatum. Potuit enim alius esse animus postquam demon seu Deus inquit illi, fauisse visus est. Vt verò iustissimè danatus fuerit, neque tamen iustam ob causam cum neque filios corrumpere alienos, dicēs sibi magis quam patribus auscultandum, neque quoddam deos alios induceret. Hoc enim etsi fecisset, iuste fecisset, cum tamen non fecerit, neque impium est, si quis medico pro salute magis quam patri, & exercitus duci pro bello gerendo crederet. Quod etsi damnatio iusta fuisse, & iustas habuisse causas, non tamen ob id iuste ab illis accusa-

batur, quos constabat scelestos fuisse, & eum quanto melior extitisset tanto acrius fuisse infectaturos. Imò ob id illum accufarunt quòd optimum esse existimarent, sic ille commento suo periiit.

Primum igitur id demonstrandum arbitrator non esse mendacium vtile hominibus neque decorum. Cum enim tres sint Mundi: infimus animalium & stirpium, expertium doli atque mendaciarum: viuunt enim lege naturæ, & supremus beatarum substantiarum quæ in ipsa, veritate collucent, solus hic medius vanitatis ac falsitatis sedes est. A quo si mendaciū auferre liceret magnam cum supremo mundo similitudinem haberet, nam & sapientia, & intelligentia, & ordo, & Deorum cultus, & amor immortalitatis, multaque alia ad similitudinem vtriusque mundi immortalis, scilicet corporei, atque incorporei in hoc splendent. Verum à mendacio, & falsitate coinquinatur, & scædatur. Quid enim primum est iniustitia quam mendaciarum ramus? Peierant iudices, & quod vni debetur alteri adiudicatur. Deceptiones omnes, insidiæ, ingratitude, immerita, & præcepta præmia omnia partes sunt falsitatis atque mendaciarum. Ille cum sit imperitus, periti opinione occupat munera apud vulgus, quæ perito debentur. Ille profiteretur mille coronatis cum nec ceterum promereatur: at è diuerso alius cum mille dignus sit, vix quingentos consequi potest. Vnde hæc nonne omnia mendaciarum facta sunt. Medicus ille ex leuibus morbis magnos efficit, ex mediocribus omnes perire sinit, & lucratur, & à principibus in precio habetur. At ille alius cum plures curet, rectè prædicat eruditior longè sit, vix habet qui se fidei suæ credere velit. Vnde hoc à mendacio. Pharmocopola, seplestarius, qui omnes decipit prædixit sit: ille alius cum neminem decipere velit, esurit. Vnde hoc mendaciarum fructus hic est, denique ne cogar per omnia pertransire, mendacium omnium malorum auctor est, & origo, & causa infelicitatis totius humanæ. Quid aulas, & cum ipsis Reges ac tyrannos perdit nisi mendaciū? laudatur inutilis, deprimitur strenuus, insidiator pro fido, fidus pro insidiatore habetur; non hæc exemplis indigent cum segete in vere hoc sit frequentius, adeoque vulgatum, vt etiam qui emerita virtute aliquid consequuntur cogantur tamen mendaciarum quod consequuntur debere. Quid oratores impij decipientes populos, consiliarij reges? omnia in perditionem ac exitium ob minimū emolumentum, & quanquam nullum sed ambitionis solius causa, Christus cum Cacodemone qualis esset descripsit, non auarum, impium, crudellem ambitionis, inuidum, ingratum ve appellauit, sed mendaciarum patrem: quasi quod hoc vno omnia flagitia continerentur. Cogita si mendacium omne abesset qualis esset vita mortalium, certè diuorum puritati simillima. At mendacio profus omnia euertuntur, boni, strenui, sapientes opprimuntur: mali, inertes, imperiti, atque imprudentes euehuntur, erroris causa est mendacium, veritas, sapientiarum mendacio omnia confunduntur, conturbantur, & infamia redduntur. Nihil tam inhumanum quam mendacium, cum tamen homini proprium sit. Reges ferantur esse ve-

ridici quod sine hac virtute ægno indigni esse videantur. Dij si quid aliud veridici maxime sunt. Mendacium aut exitium quoddam est, aut ab exitiali quodam monstro proficitur. Quamobrem ciuitates quæ Rethoribus studuerunt, ab ipsis omnes in perniciem actæ sunt. Demosthenes Athenas perdidit, Aratus Acheos, Cicero Romanos. Si nil aliud vos hortatur aut suadere potest, hoc vnum considerate quid boni afferre possit mendacium atque deceptio: etiam qui ex deceptione viuunt, si ipsi mutuo se decipiant breui ars cum artificibus perit. Est autem mendaciarum duplex genus, quod verbo & quod gestu exprimitur. Nihil interest vtrouis fallas. Sed licet imperitos quemque gestu fallere: Ceteros nullo modo. Si igitur mendacium omnium malorum in humanis causa est omnis erroris, flagitij, sceleris, eos qui docent homines mentiri, qui que fallere conantur, seu verbo, seu specie, seu moribus, nonne palam est pessimos esse: atque eo deteriores quanto plures vel doctrina, vel exemplo tales esse docuerint. Quid ergo si Socratem mendaciarum introduxisse, laudasse, docuisse verbo, exemplo, imitatione, ostendero, an non dicemus illum pessimum fuisse virum, ac de humano toto genere pessimè meritum. Vt qui latente veneno omnia illius bona perdidit. Primum ergo quæro an sapiens esset annon? si non cur laudatus pro sapientissimo ab Apolline? cur cum omnibus sapientibus disputabat? cur omnes irridebat? Si sapiens fuit, cur hoc toties in ore iactabat, se hoc vnum scire quod nihil sciret. At ò præclaram sapientiam, quæ cum omnibus pueris communis est. Sed quia dictum est à Socrate aureum dictum, aurea sententia est. Sed & omnes ironiarum vltimè affirmant, at hæc mendaciarum pars est non obscuram in re dico, non in verbo. Quid si aliquis peritus Latinarum literarum, tanquam omnino ignarus earum quempiam adeat, illumque exploret, loqui iubeat, colligat errores eius, solercissimos, barbarissimos, incomptè, parum latine, ruditer inconcinneque prolata, an non hic pessimus explorator erit; & improbus lycophanta, dignusque vt non verbis sed verberibus ac plagis mulctetur.

Quorum hæc ironiarum hæc dissimulationes, si bonus liberè loqueretur, si non liberè loqui voluit, malitiosus, & improbus fuit. Nonne Christi præceptum est: sit responsio vestra, sic & nō. Hæc vera, hæc sancta Philosophia, quorsū tot ambages? qualis disciplina exemplaris ad erudiendum populos? quem cum viderent, ob id sapientem existimari, quòd ambagibus, ironia ironiarumque vteretur, omnes cupiebant ea ratione videri esse sapientes. Sed quæ sapientia quam coriarij opificesque conscriptis libris mandabant literis? Simon Glauco Phedoque sordidis cum manibus. Si sapientia fuit quare prophanauit eam? ac quasi virginem populis conculcandam, & irridendam tradidit? si nulla erat sapientia, cur sapientis nomen disputando aucupabatur? Sed quales iudices? populus scilicet altercationum arbiter. Vnde Horatius sic illum repudiavit dicens.

*Odi prophanum vulgus & arceo.*

O Socratis calliditatem & haud ingenuam vitam ac mores tantoque viro dignos. Præcepta sapientiarum docere populos non solum licet,

licet, sed etiam expedit, quandoquidem sine ipsis viuere autem saltem commode viuere, non possunt, at sapientiam docere tentare aut insipientis est si sperat, aut improbi si non sperat, sed simulat, quod sperare non audeat. Verum hæc minora sunt, illud non potest defendi, sapientiam inter populos disseminatam seditionum, & tumultuum, rebellionum, denique exitij causam certam esse. Neque enim unquam sapientiam inter populos quisquam disseminare tentauit, abique pessimis successibus miserorumque pernicie. Quid si quis iura ac leges illos docere velit, quot contentiones suscitabit? Idem de religione ac similibus. Qui medicinam communicarunt populis morte digni sunt, nec simplici, eorum enim facto perit Medici acceperunt iudicem populum, ut errare cum illis cogantur: aut si recte agendo perdurare velint, atque persistere, casus infelices illis tribuantur. Horum igitur omnium hic sanctus vir causa erat. Adde quodd negabat disciplinas disci oportere, recitat hoc Xenophon in opere de Dictis ac factis Socratis, quasi hoc præcepto magnam mereretur laudem. O hominem scelestum, & profusam vitam indignum si hæc dixit! Sed omnes id fateri videntur. Vnde etiam illud quodd in ore mulierum est, quæ supra nos, nihil ad nos. Sed alius paulò repetenda est res hæc.

Natura nostra, ut dictum est, triplex est: coniuncta stirpibus atque animalibus sensu fruitur, & appetita nutritur, augetur. Membræque cum cæteris animantibus cuncta cõmunia habent: iecur, ventrem, renes, oculos, aures, pedes, pilos, unguis: atque hac parte simplex est, & fraudis expertus, quandam tamen solertiam ad sui salutem natura illis indulgit. Altera propria est homini, ratione uti atque reminisci. Vnde etiam peculiaria quædam habet, temperamentum maxime permistum, & omnibus animalibus simile tum etiam stirpibus. Erectam vero corporis staturam solus habet, & manus, nam cætera animantia quæ erecta sunt, & quæ manum habere videntur, non habent, sed quippiam simile. Gallus enim cololum non habet è regione crurum, nec cercopythæcus, aut simia erecti diu ambulare possunt. Musculi verò manus in his non sunt, velut in homine. Neque pollex in simiis, & similibus è regione aliorum positus est. Hac parte Homo animal est prudentissimum, & ad omnes artes aptissimum. Sed iuncta priuatione mendacio, scilicet ex artifice & civili transit in latronem, & tyrannum. Nec habet quo se ab improbitate tueatur aut respiscat, namque ab inferiore anima ad voluptates, iram, libidinem inconstantiamque trahitur. Ratio ostendit necessarias esse his omnibus opes, ideoque suadet: ut quouis modo illas sibi comparet. At nihil aptius fraude, dolo, atque huiusmodi, non ergo respiscere homo potest beneficio propriæ naturæ, neque inferioris. Tertia pars est toto diuina, qua diuinis iungitur mens, cuius naturalem appetitum voluntatem appellat. Atque cum ea lumen quoddam quo cuncta scire potest, ipsa verò scit, ac quasi recipit sapientiam. In ea sunt scientiæ, Dei cognitio, cognitio principiorum, & æternorum. Hac sincerus est animus neque fallaciæ capax aut mediator, sed totus purus, & in

puro alienus ab omni mendacio. Et quo magis hæc pars superior extiterit, rationem ad bene agendum dirigit. Nec credas huiusmodi sapientum vllum improbum fuisse. Dico illos qui sapientia vera elarere Aristoxenû, Eudoxum, Timocharim, Trismegistum, Prolemeum, Apollonium Pergeum, Archytam, Archimedes, Euclidem, Aristotelem, Theophrastum, Hippocratem, Marinum, Plotinum, Eratosthenem, Thebitum, Hipparium, Galenum, Oribasium, Hasen, Thomam Scotum, Albertum Theonem, Alexandrinum Entocium. Illud tamen cogitando nil prohibere quin idem sapiens sit, & malus, sed tum sapiens non erit cum malus erit, aut non malus cum sapiens enaserit. Neque enim ego ita iuuenta mihi ipsi similis eram vitæ innocentia, ut nec sapientia in senili ætate. Iam ergo sapientia homines optimi per se euadunt, sapientum vero exemplo cæteri. Quinque enim causis homines boni sunt: natura, lege, institutione, iudicio, & exemplo. Natura quidem mulieres, & pueros, & lege bonos habemus. Et si à viris non corrumpentur, ferè huiusmodi omnes boni essent. Atque ita potior pars humani generis quod ad multitudinem attinet, sed tamen nisi viri boni sint, etiam ab his corrumpuntur, & eorum bonitas parum prodest, quoniam in eorum potestate nihil repositum est. Lex autem duplex, humana quæ vi, & diuina, quæ metù homines cogit esse bonos: At legem humanam multa prohibent bonos efficere homines. Primum quod non circa mores sed actiones, neque omnes sed principales versetur. Deinde quodd leges plerunque malæ sunt, vè non ex malis bonos, sed bonis malos potius efficere queant, tyrannicæ primùm, rudes, Barbaræ, omnes ferè ad malos homines efficiendos videntur ordinatæ. Mediolani lex lata fuit, ut si nobilis plebeium occidisset pœnâ septem librarum tertiorum, id est, besse auri puniretur: In hoc genere sunt, leges Salicæ, & Longobardorum, quibus cædes insontium exigua pecunia redimuntur. Tum multa alia graua flagitia. Sed & leges non possunt, nisi manifesta crimina punire: at maxima parseorum iudices subterfugit ac latet. Pauci ergo legibus humanis boni euadunt, verum non laedere possunt continentur. Atque id vbi non in gratiosos & potentes dirigantur. Hi enim eas contemnunt. Diuinæ autem metu non vi continent homines, idè inefficaces sunt primùm vita multorum qui leges ipsas suadent, aliena satis ab instituto: deinde quodd admiranda profiteantur. Et quod in agendarum rerum errore frigeant, habentque multos contradicentes: adè vt res ad mulieres, pueros, & infirmiorum plebis partem relegetur, qui omnes, ut dixi, nisi ab improbis hominibus euerterentur, vitam satis honestam ducerent. Institutio plurimùm posse videtur, dicente Aristotele: Multum potest educatio, imò plurimùm, imò ferè totum. Sed quibus constat educatio atque institutio: præceptis duntaxat non, sed præceptis, consuetudine ac societate: cum ergo Socrates sola præcepta adhiberet, non potuit quenquam efficere bonum, quod etiam suo loco experientia comprobabitur. Minima pars sunt præcepta institutionis, vè

rum consuetudo, & societas longè plus singulari seorsum possunt, quam præcepta. Reliquum est igitur ut, statuamus, homines iudicio, & exemplo bonos reddi. Si Rex bonus fiat statim omnes ferme vel etiam sine legibus, aut præmio villo imitatione boni fiunt. Quamobrem sæueritas legum parum prodest ad continendos populos in officio, & pietate. Quinimò si tyrannican: agant vitam principes, & magistratus, legibus autem alperis vtantur, omnes sient latrones. Et miseram vitam populi agent, in omnem occasionem ad rebellionem propensi. Vt enim pessimum hoc est, ita optimum principem, & magistratus rectè viuere, leges autem mitissimas esse. Si Rex ipse bonus sit, vt Alexander Seuerus, bonos euehet, & magistratibus præponet, quorum exemplo, admiratione, spe statim omnes boni sient. Sed & si Principes, magistratus, potentes, sapientes euadant boni sient, & cum his omnes alij ciues. Optimum igitur modum bonæ institutionis, partem præcipuam felicitatis humanæ diuinum quicquid in nobis erat vnicam spem bonos reddendi ciues Socrates sustulit malitioseque sustulit

Sustulisse quidem haud dubium est, nec quisquã inficiatur, sed id malitiose fecisse forsitan dubitari possit. Id autem ostendam ex multis: primum quod Socrates omnium disciplinarum esset, profusus ignarus. Quin etiam refert quod in carcere esset, mansit autem triginta diebus, fabulæque quasdam Æsopi in carmen redigere tentaret, infeliciter & inepetè satis negotium ei successit. Nec quisquam est qui Socratem vllam artem calluisse dicat. Plato enim illi aded adductus de rebus naturalibus dum differeret Timæum Pythagoricum introduxit docentem Mundi generationem, primum adque constructionem. Ille idem ad Pythagoricos gratia discendi naturalia nauigauit, liberisque quosdam magno precio emit; nauigauit & in Heliopolim Ægypti vt à Chaldæis naturalia atque diuina condisceret. Xenophon qui illum laudat maxime, nullam tamen ei disciplinarum cognitionem tribuit. Nec discere voluit aut potuit, sed ab aliis inuentam excindere conatus est. Claruere enim viri sapientes ante suam ætatem, & cum eo Thales Milesius, Hippocrates Cous, & ei coequales Medici clarissimi tres vel quatuor: Anaxagoras, Empedocles, atque Democritus, Archytas Tarentinus, Eudoxus, Parmenides & Melissus, & Alcmeon. Sed Hippocrates, & Alcmeon omnium præstantissimi, quorum nomina Aristoteles etiam veneratur. Non ergo Athenienses odere Philosophos sed prauos Philosophos. Etenim nullum horum damnaverunt, sed Eudoxo etiam statuam æneam cū aurea lingua in porticu dedicarunt. Meminit etiam Aristoteles Calippi, itaque videtur Socrates dehortatus, à Philosophiæ studiis homines quod cum ipse rudis esset, studio talis potius, quam negligentia vel ingenij, defectu esse videri vellet. Vnde illi etiam à Metoposcopo prædictum quod rudis esset. Si enim disciplinas adeptus demonstrasset, illas posset videri ex animo potesse, at cum nec degustarit, quis dubitare potest, non inuidia id fecisse, vt damnaret incognita. At sapientissimus appellatus est ab oraculo? Ita est, & optime, neque

inficior. Sed quo sapientiæ genere, non dixit: constat enim neque in Geometria, neque Musica, nec Astrologia, nec Philosophia naturali nec diuina, nec alia quavis disciplina. In qua ergo arte excelluit idcirco morali: Hæc sapientia, vt antea docui, non constat sed voluntate: Benefacere bonis benemerentibus, tum etiam malis, qui aliis nõ sunt molesti: iustitiam pietatemque seruare, atque huiusmodi, quæ sapientia hæc est, vt Eudoxo vel Hippocrati, comparari debeat aut etiam præferri: vis, vt ostendam: sane nec puto inficiaberis, vir lapidarij, & obstetricis filius, humillima ex plebe natus, pauperimus, nullam callens disciplinã, sine literis, qui Reipub. nec consilio nec factu villo egregio vtilis fuit, illis suis nugis, & ficta sanctitate vitæ dum per compita, & fora vagatur mendico similis, nudis pedibus, obsoleto pallico (ameati similis) totam vrbe Athenarum nouo miraculo traxit in hanc opinionem, vt spretis qui vere philosophabantur relictis ducibus, qui totis diebus laborabant, pro salute Reipublicæ, vnum Socratem laudarent vt sapientem, admirarentur vt sanctum virum, colerent vt Reipub. vnice vtilem. Inde non solum Athenas his præstigijs impleuit, sed & totam Græciam: inde etiam permanauit hæc opinio in alias regiones, & totum orbem impleuit, nec solum sua ætate sed adhuc apud omnes viget, aded vt insanire quempiã putent qui neget Socratem fuisse optimum virum, aut sapientissimum. Pluresque (aded corrupta sunt, hominum iudicia) æquo animo audituri sint maledicentem de Christo quam de Socrate, nam de Socrate nemo fert, de Christo Mahumetani, Iudæi, Philosophi, pluresque è proceribus nostris. An ergo mentitus est aut in quoquam aberrauit, Apollo cū eum sapientissimum, id est, vaferrimum appello? cuius pene solius certè maxime ex coequalibus fama inclaruit, per tot secula, cum nihil haberet eorum propter quæ homines ceteri inclarescere solent. Sed tamen eius fallacia vitæque fucata, & simulata sapientia ab Athenæo perstringitur. Et Aristophanes non perperam admiratus stultitiam vulgi, quod hominem eum optimum esse duceret, atque sapientissimum, ob id solum quod disputationem circumueniret homines, & doceret causam deteriolem meliorem facere. Vnde illa immodica Demothenis, & Æschinis eloquentia, altera fax altera falx exitialis patriæ. Sic enim in Nubibus:

*Esse apud ipsos dicunt ambos sermones;*

*Potentiorum quicumque est, & inferiorum*

*Horum altero scilicet inferiore,*

*Vincere docent causa cum iniustissima.*

*Si igitur docueris me iniustum hunc sermonem,*

*Qua nunc debeo, per te his debitoribus:*

*Non reddam, neque obolum vlli.*

Versatile ingenium Socratis, & pensi nil habentem præter inanem gloriam docet: Dissimulationem quoque vitæ, & fictam innocentiam atque mansuetudinem:

*Hæc prauis scio, superbos,*

*Pallentes nudos pedibus, dicis*

*Quorum infelix Socrates & Charephon.*

At naturalium rerum diuinarumque imperitiam non solum, sed & contemptum, perpul

perpulchre notauit his verbis :

*Parabis Deum nullum præter quem nos:  
Chaos hoc, & nebulas, & linguam, tria hæc.*

Per chaos ignorantiam rerum naturalium insinuauit, quasi fortuito omnia facta sint :

Et cum impio Diagora senserit, qui Deorum sustulit prouidentiam. Per nebulas autem nouam superstitionem ac mores & vt liceret, pro arbitrio pietatis speciem præferre, linguam autem quod causas non ex merito, sed ex facundia, & acumine differendi superiores faceret. Tum & rursus illud: vt omnes damnarit artifices.

*Non enim per Iouem scitebas quod plurimos  
he nutriunt sophistas,*

*Vates, Medicos, Philosophos.*

Suam imperitiam ( indicans ) dum vellet Socrates velare, male dixisse de omnibus disciplinis, quod & si illi obiiciatur ab æmulo, confessione tamen etiam Platonis verissimum fuisse constat. Sed & illud : Cognitus eris aliquando Atheniensibus :

*Qualia doces rudes*

*Heu insania tua ciuitatisque,*

*Quæ te nutrit !*

*Corruptentem adolescentulos.*

*Hæc ex persona infæ viri : inde subiicit ex  
Socratis*

*Verbis nonis, ipsum*

*Et sententiis fugitabo.* Et rursus :

*Considera enim O adolescentule immodesta  
esse omnia*

*Quæ insumt, voluptatibus tot futuris si priu-  
ueris ?*

*Puerorum, mulierum, ludorum, obsoniorum,  
conuiuiorum, cacinorum.*

*Quale hoc ipsum eris viuere, his si priuatus  
fueris ?*

Docetque lege, non re esse mala, quæ modo non esse mala tuearis oratione, te ipsum liberabis ab infamia quando peccatum nullum sit. Inde inducit creditorem pecuniam repentem, quem sic instructus Strepsiades eludit vel iure communi vel ex condicito tibi illa debetur : non communi quandoquidem non par est, pecuniam augeri, sed eandem manere, vt mare, & cælum, nihil enim auget seipsum : non ex condicito quia abiuro debitum, quod tuto abiurare licet, quia videmus quod dii hæc periuria negligunt. Similiter inducit filium verberantem patrem: dicēs ego cum puer essem verberabar à te ò pater, & liber eram vt tu, igitur par est, te à me verberari. Et si ego puer eram tu cum sis senex bis puer es & dignior vt fleas, Præterea galli iuuenes verberant parentes, igitur verberare parentes est, ex naturæ lege, quid hoc tandem est, non reuocandas res ad facundiam vel argutias, omnia enim bona atque commercia hominum ac leges euerterentur. Nam quod corrumpet adolescentem falso obiectum puto : Et puto Aristophanem fuisse pessimum virum, & vt ille de Æschylo dicebat :

*Strepitum plenum, instabilem, multisiloquum,  
præruptum.*

Sed tamen nec id inficiari potest quicquam, quod hæc disputaciones de moribus rectè viuendi normam non corrumpant: postquam quæ lata sunt, lege diuina humanaque, tum naturali, constant ratione, & à Philoso-

phis sunt comprobata, in dubium reuocantur. Sic ibi inducit ostendentem Socratem, cogressum masculi cum masculino defendentem, quod galli cum masculi sint, à gallis, & armenta subiguntur. Quasi dicat quid tam turpe esse potest, aut nefarium quod si ad has disputacionulas redigatur honestum, & iustum videri nõ possit ? liquet igitur dolo se egisse Socratem dum auerterit homines à studiis bonarum artium. Cuius rei etiam est, aliud argumentum, scilicet quod omnes peritos artium irrideret, negarētque scire se quicquam, vt cum haberetur sapiens opinionem omnem scientiæ in aliis extingueret. Deinde quod male diceret de Anaxagora qui ob sapientiæ naturalis existimationem quam habebant, ciues de illo, paulo ante damnatus fuisset: vt vir non solum inuidus sed etiam improbus videri possit. Senecam præterea qui maximè Socratem æmulatus sit, de moribus assidue disputando, & vitæ ficta innocentia, quanquam diuitias maxime concupierit, constat haud dubie maligne insectatum literarum studia. Cum idem videatur fuisse viuendi institutum, disciplina, robur, & senectus valida, ac mors violenta publica: Quamobrem nil peius excogitari posse reor dissimulata hac viuendi ratione, quod etiam ex priuata vita discere licet.

Primum quidem ociosam elegisse illum non obsecrum est, non studiis, non arti, non militiæ addictus: quanquam vi coactus feratur aliquando pugnasse cum Alcibiade. Vnde tot nugæ de victoria, cum victi fuerint. Atheneus contendit nec affuisse in ea pugna ambos, sed omnia ficta. Omittam modo suspiciones de puerorum, & præcipuè Alcibiadis amoribus, tum quia tunc videbantur licita, aut saltem admilla, tum quia hoc esset hominem nõ institutum insectari. Homines enim magis procliuus ad alia atque alia nascuntur, hoc damno non quod quis facit, sed quod etsi non facit faciendum putat aut suadet, aut vt faciat studet, cum haud iustum sit, aut decorum. Sic neque quod filios malè instituerit, ipsi vero flagitiosissimi ac nequissimi fuerint. Communis enim calamitas, vt dixi, virorum clarissimorum non peccatum parentum: Vnde etiam Aristophanes in nebulis.

*Hippocratis filiis similis eris, vt te vocent  
famum.*

Constat ex Atheneo illum fuisse infelicem, sed, & quod morte præuentus, duo enim tum erant paruuli maior nam adolescentulus, non potuit erudire neque instituere. Sed nec quod duas simul duxerit vxores. Laudi enim magis quam vituperationi hoc tribui debet quod Reipub. consuluerit, & magistratibus ac legibus paruerit. Sed illud primū obicicio quod nihil ageret : cum Paulus texeret sportulas quamvis tantus, apud omnes concionator, nec victus minus quam Socrati suppeditaret, vt qui ex his quæ dono accipiebat partes vrbium aleret. Rogo quo exemplo docuit iuuentutem nihil agere, cum iuuenibus nihil sit vtilius. Hæc enim mutuo se consequuntur, frugi esse ac bonum & exerceri laboribus, laboribusque exerceri iuuentutem, & probum esse ac frugi, quod etsi non statim appareat tamen semper euenit. Deinde quo iure aspernatus est præmia, ab his quos docebat, & ab amicis dona,

dona, vt postmodum grauis esset aliis, & virtutem deturparetur? Siquidem non accepit præmia, quod nihil doceret recte fecit, sed tamen docere se fatebatur. Si non accepit à diuitibus, & volentibus pessime egit, nam primum scedabat, & vilem docentis artem reddebat: & alios qui præmia acciperent iniuste grauabat. Vnde Aristippocum obiiceretur quod præmium, à discipulis acciperet, Socrates non accepisset, respondit: sibi non esse nisi proprios redditus, Socrati opes optimatū Atheniensium fuisse pœnu. Quis & de hoc dubitare potest Socratem inuidiam in omnes qui tum docerent, non excitasse? Rursus vnde illi patientia tanta vxoris, cum pessimo esset exemplo, & vt fœmineum genus licenter viuere: contra leges & mores cuiusvis bene institutæ Reipublicæ. Quid verò illud, adesse omnibus conuiuuiis, vt suam illam sapientiam ostentaret? Videbimus modestissimos quosque tum maxime senes ab eis abstinere; quæ enim non fugit sapiens probat. Vnde etiam sermones hi de puerorum amoribus tam frequentes? O casti sunt dices, certe poterant hæc vel quouis alio iudice, quam Platone ac Xenophonte longe purius, & meliore exemplo proferri. Hoc enim est, ac si quis ignem sulphuri appropinquet. Si qua nupta amantem deosculetur, inde dicat sincero amore id fecisse, nõ ob adulterium. Possunt dici sed non credi, homines ad huiusmodi conuiuia, sed non persuadent? Nuditas verò illa pedum quid aliud est, quam ostentatio mera patientiæ imò stultitiæ? & ambitiosa infania: cui bono? at vt iuuenes ad patientiam, & tolerantiam, ac militiam exaceret: nihil minus cum iam ipse militiæ ætatem excessisset, & parum, vt dixi, militasset. Filium non erudisse vlla in arte, & tamen nec illi censum quem relinqueret parasse, quorsum hoc? Quis non videt ambitionis cuiusdam inmodicæ opera fuisse: Vt qui illum non agnoscerent, ex tam absurdis actionibus, habitu, vitæ genere sermonéque admirarentur quod & obtinuit, potius leuitate ciuium, quam calliditate propria, neque enim tanta esse potuit, vt alibi quam Athenis tam celebre nomen consequi posset. Dico non solum Romæ nec in Italia sed neque apud Lacedæmonios, aut Thebanos, aut alios Græcos præter solos Athenienses. Sed dices Oraculum dixit, Socratem non solum esse sapientem, sed etiam optimum virum, non ergo (studio se saltem) homines decepit. Respondeo tamen si Xenophon hoc adiciat, reliqui tamen omnes dicunt, solum pronunciaffe, ipsum esse sapientissimum. Sic enim referunt locutum Oraculum.

*Ἀριστὶν ἀποκρίσας ἐπιφώνησεν.*

Sed fac vt adiecerit etiam optimum, illud idem dico quod de sapientia, ea enim agebat, & faciebat quæ optimum quisque faceret, licet non eo animo, at ex fine vnum quodque appellari debet. Apollini tamen vt suo more, & congruentia, & ancipitis sensus verba proferret, atque sententiam, bonum (si modo id dixit) seu optimum appellare placuit. Verum rursus dixeris, Demonem habebat familiaré, qui fieri potest, vt non etiam sapientissimus fuerit? Falleris, seu enim Demò ille quidam sit affectus excellens, velut gloriæ: amoris seu pa-

tientiæ, seu sit astrorum constitutio huiusmodi: seu causa quædam incorporea generalis seu propria, & adumbrata quæ nos doceat: seu facti series proprii tanquam ex toto auulsa, non nisi in vno genere aut paucis quibusdam nos admonet, atque dirigit in alios, vt ad finem institutum deducat, nos transuersos agit, velut equum per cœnum, & abrupta. Nonne Anytum frustra prouocauit, opificum defensorem, & Melitum Poëtarum? Nam de Lycone forsitan nõ est accusandus, cum rhetores, & oratores Republicam perderent. At Poëta, & si quid grauius committant non tum persequi eos debuit. Multa enim toleranda sunt in domo, quanto magis in Repub. vt maiores errores corrigere possit. Sed agebatur Dæmone, vt ille dicebat, ad mala potius quam vtilia impellente. Si modo Demonem habere non res vulgaris est, multum addebat, ad auctoritatem eorum quæ dicebat, atque docebat. Vt duplici emolumento esset, illi hæc de eo opinio apud vulgus, triplici autem si verè habuit. Sed vt res fuerit, Demò fuit nõ Deus ille. Deus enim bonorum, & tranquillitatis causa est, at vita Socratis plena fuit turbationibus, calamitatibus & planè misera. Quid etiam attinuit ad illum tantum sequi formosos pueros, ac laudare formam, vt de Xenophonte maximè dicitur. Careant ista quantumvis crimine, non carent reprehensione, & si reprehensione, non tamen suspitione. Sed fac vt suspitione etiam caruerit, exemplum laudari nullo modo potest. Et si vitam illius quis inspiciat, videtur certè Demonè sapere, namque in seipso vitæ versantem Demonis sunt, peccata hominis. Et parum ab Epicuro differre, qui & ipse sustulit Deorum prouidentiam edoctus à Diagora, & in voluptate posuit felicitatem, Eudoxi opinionem secutus. Vt demirer Ciceronè hæc tribuisse Epicuro, qui non fuit nisi purus recitator. Neque enim de hac inuentione etiam si aliquid esset gloriari poterat: cum partem dogmatis à Diagora scilicet impietatem, partem ab Eudoxo scilicet belluinam vitam, & institutionem, sumpsisset. Sed & cum Aristippus inter præcipuos Socratis auditores parum ab Epicuro differat, palàm est Socratis vitam ab Epicuri opinione, atque instituto parum abfuisse. Quæ enim de Diis adiciit Plato nõ ex Socratis disciplina sed potius Pythagoreorum, & Chaldeorum commentus est, nec, vt dixi, hæc Socrati tribuit. Ergo discipulos Socratis quales illius doctrina fuit, fuisse nil mirum est. Aristippus primum dissolutus omnique voluptatis ac flagitij genere affluës. Non illud obiiciam quoddam coram Dionysio saltarit, quoddam pluribus puellis simul operam dederit: hoc enim humanum etsi paulo interperantius, illud prudentiæ, postquam serueris tyrannis, quibus nihil est mediũ, sed vel placere vel perire eligere quod optimum esset. Vnde vides etiam quantum in iudicio falluntur homines vbi nullum crimen, flagitium, probum est, omnia hæc fringant, vbi est non animaduerunt, sed quod vir Philosophus pecuniæ solius studio sustinuerit, tanto sui dedecore, tanta tyranni laude, & fauore ad Dionysium accedere. Neque enim ob aliud Philosophorum aptarunt familiaritatem

tatem quam ut vitam suam honestarent, scelera velarent, flagitia obtegerent. Indicio est epistola propria illius scilicet Dionysij ad Platonem, & Phalaridis ad Orsilochem in qua hæc habet: Si propterea quoddam Pythagoras plus sæpenumero à me accersitus huc venire noluerit, quemadmodum eum qui meam fugeret consuetudinem laudasti, mihi calumniam attulit. Quod nunc ad me venerit, & quintum iam mensẽm vna mecum in voluptatibus sit, mihi profectò laudi est. Apud me ne breui quidem momento permanisset nisi mores nostri cum eo cõuenissent. Sic Pisistratus Solonem domum reuocare conatus est: cui contra ille, Athenas redire mihi vtile non esse cognosco, ne quis me iustè reprehendat, qui Atheniensibus dudum Rempub. administrandam tradideram, præsensque oblatam mihi tyrannidem sponte dedinaueram, modo rediens factum tuum subita pœnitentia probare videar. Sic Periander Sapientibus: Sicut igitur anno præterito Sardis in Lydiam venisti, ita nũc oro ne pigeat ad me vos proficisci Corinthi tyrannum. Videbunt enim vos non sine gratulatione Corinthij Periantri domum adeuntes. At cõtraria ratione Pittacus cum Crocũm regem non improbare, ne iudicio suo illum damnare videretur respondit: Auro ipsi non indigemus contenti modico vitæ stipendio quantum est mihi satis, & amicis. Veniam tamen ut tibi perhumanam, & hospitali viro familiaris efficiar. Sed & Zeno Citricus, ab Aurigono vocatus quãvis non iuerit misit tamen Persarũ atque Philonidam ne contempsisse regem, aut non probasse, eius mores videretur. Ut enim adire regem, aut tyrannum est illius probare vitã, actis subscibere, ita non adire vel est ingentis fastus indicium, imò potis stultitiã cuiusdam, aut non probare illius acta, liquet ergo Aristippum Dionysij facta pro aduentu sub probasse. Et quomodo potuit vir ille Philosophus spectare manus illas tot cõdibus nefandas? Hæc igitur Socratica sanctitas. Venio ad Platonem qui & si non saltauerit, in eodem tamen crimine est, nam & ipse ad Dionysium pecuniarum spe venit. Et eo deterior fuit Aristippo quanto diuiniõr habebatur? quãsi non solum à Philosophis coleretur ac vita eius probaretur, sed etiam à Diis ipsis. Addidit & scelus scelere cũ Dionẽ hortatus est, ad expellendũ Dionysium illi sanguine cõiunctum, & nil tale meritum ab eo, si inimicus? cur adis, cur pecunias accipis? si amicus cur illi insidias paras? Vellem inuenire oratorem, qui ista defenderet. Omitto vitam quã duxit infamem perpetuò pueris vsus adeò, vt nec mulieris interulam viderit vnquam. Subsequitur tertius Xenophon vir blandus, & ornatus eloquio, verum omnium bonarum artium expertus, perpetuus miles, rapax, & qui ex militia cum nullo in prælio victor fuerit tamen grande peculium corrasit. Patriã etiam pene proditor. Vnde in exilium actus est. Cum enim Lacedemonij acerbissimas inimicitias cũ Atheniensibus gererent, Lacedemoniis adhæsit, illos laudauit, Atheniensibus posthabitis aut postpositis. De puerorum autem amore nefando quid dicam? vnde illa vox: vellem ad omnia alia cœcus esse modo Cliniam vide-

rem. O dignam sententiam Philosopho! Sed video quid sis dicturus. Antisthenes Socratis auditor fuit, & tamen optimus vir. Certè id verum est, fuit enim probus admodum, feminas amauit, ad tyrannos non accessit, pecuniam, & opes spreuit. At ò egregie qui docet an eruditus habendus quod vnus euadat eruditus discipulus, ceteri omnes imperiti? aut sub quo vnus, aut duo imperiti, ceteri omnes eruditi? Quis ignorat quosdam esse adeò constantis, & puræ vitæ, vt etiam inter greges Cibeles vertati non tamen coinquinentur? talis fuit Antisthenes, is enim militauit sed pro patria. Et prius fuit doctor quàm Socratis discipulus, nec ab illo quicquam accepit præter tolerantiam & tranquillitatem. Ut vir omnino innocens fuerit. Nec cum illo commorabatur, sed Athenis Socrates, ipse verò in Pireo quod quadraginta stadiis ab Athenis distabat, Socratem audiebat, ob probitatẽ etiam Orphicis mysteriis est initiatus. Platonẽ etiã tulit malè de eo dicentem. Et cum ille coram esset, factum & inanem illius ambitionem modestè taxauit. Ille solus ex omnibus discipulis vltiores quæsivit, & populum Atheniensem in necis Socratis auctores incitauit. Ille solus inter Socraticos, à Theopompo laudatur. Ille Crati fuit continentia, & Zenoni tolerantia, & Diogeni tràquillitas auctor. Ille idem consuluit ducendas vxores filiorum suscipiendorum causa. Et certe non solum ipse sed qui eum secuti sunt, præcipuè quos nuper nominauimus optimi viri extiterunt: adeò vt Zenoni statuam posuerint Athenienses, & apud illustres claus vrbis reponerent. Cum tamen esset Antigono regi valdè amicus, vt pateat Athenienses non Philosophiã, sed prauis Philosophis fuisse infestos, nam nec Zenonem nec Antisthenem, nec Cratem vexarunt: Sed Socrati aduersati sunt, quod verè Rempub. dum simularet erigere, euerteret. Et Aristoteli ob Antipatri familiaritatem, licet impietatis prætextu illum accusauerunt ne cum Antipatro inimicitias auerent.

Sed iam id quod propositum est, videamus, scilicet an Socrates vrbem Atheniensem euerterit discipulis, ac disciplina: & primo de Æschine loquamur, is enim illius fuit auditor. Quam turbulentus fuerit, in Republica omnibus qui eius vitam legerunt, seu apud Plutarchum seu alios quanquam noxias dum illam is, & Demosth. velut Boreas, & Auster exagitant, & in legationibus prodiderint nõ est, qui ignoret. Ut tãdem in exilium metu se proripiens, aut etiam damnatus finem sceleratæ vitæ imposuerit. Quid dicam de Alcibiade qui toties pro patria contra patriam pugnavit dux exul, nemini, fidus, nulla in re constans? non continentior in exilio quam domi fuerat. Vxorẽ regis Lacedemoniorum qui cũ hospitio susceperat, beneficij loco adulterauit ex qua etiam filium suscepisse creditur, certè obiectum est ei quod Alcibiadis esset filius; atque ob id crimen Lacedemoniis odiosus. Seditiosus domi, foris perfidus, & rapax, in exilio hospitem proditor, nam Athenienses monebat de his quæ Lacedemonij agerẽt. Vir vt vno verbo dicam nec prudens, nec bonus, nec Reipub. vtilis. Euclides Megarensis, non is qui Geometrica scripsit, in vrbe sua inuexit

contentionis rabiem. Verum hæc forsân toleranda, at quæ post succedere in exemplum transferunt: velut illud.

*Inser Socraticos notissima fama cinados.*

Putant simpliciter dictum quod magna arte proponitur: nam sub Socratico habitu, & moribus pessima latent flagitia. Et nunc (Dij boni) quonam prorepsit malum, siue quis furem seu sceneratorem aut sicarium, aut deceptorem, aut virum iniustissimum, quali habitu incedit, qualem simulat grauitatem, & innocentiam? Hinc simulata religio, ficta pietas, proluxa barba, incompti crines, reprehensio minorû vitiorum & eorû quæ sperant latere posse, infontes vt fontes arguunt. Hunc quoddam parum pius, illum quoddam amator puerorum, alium quod hæresim sapiat, cum ipsi sint æbri, crudelcs, scelesti, iniusti, sceneratores, rapaces, adulteri pædicones, & incestuarius, furesque publici. Hoc igitur vitæ genus à quo maximè defluxit? Nempe à Socrate, scripsimus nos verecundè satis de hoc in *περί τῆς ἀρετῆς*, nec volumus publicari ob hoc: ille verò fallendi artem publice docuit. Credo potius ob Deorum inuidiã Socratem missum quam ob hominum salutem, namque cum Dij amant populos, reges mittunt bonos non priuatòs homines, & ex plebe infima qui seditionem excitent. Sic Romanis post longas clades, Traianum, & Alexandrum: Severum Dauidem & Salomonem: Hebræis Agatoclem Lacedæmoniis concessit, aliosque alibi qui collapsas Respublicas reficerent. Numa vir sanctus habitus est, is Romam instaurauit seculo rudi. At dices, auctor tamen Philosophiæ extitit. Nequaquam, quin inuentores ipsos damnabat. Verum aded felici sydere atque ingenio natus est, vt aliorum labores ad se traheret. Non tamen Aristoteles, aut Theophrastus, iniquam Socrati in naturalibus tribuunt, in mortalibus verò etiam damnant Anaxagoram, Empedoclem, Parmenidem, atque Melissum, passim citatos inuenies, tum Alcmeonem atque Platonem, Socratem nullibi. Laudant aliqui sobrietatem, alij pertinaciam cum referant tota die in vno habitu stetisse immobilem. At non an maduertunt illum dum hæc referunt, vehementer vituperari. Quorsum enim hæc pri-

um ostentatio: deinde quæ gloria de corpore naturalis munere? An si quis non possit hoc facere, ided malus habendus est? aut si potest, & non vult contemni atque irrideri, aliis mouere inuidiam, stultus erit? Quinimo laudabimus eum qui cum multa huiusmodi possit ab his abstinere, nec signum vanitatis prodat. Puerorum enim nec satis magnorum, apud nos sunt hæc experimenta. Denique, vt alibi diximus, moralis Philosophia maxima ex parte noxia est, discentibus eam, alios enim tutiores ad fallendum reddit. Vnde qui illum sectati sunt, vixere miseri ac oppressi, sibi inutiles, aliis non vtiles. Velut Diogenes, Menippus, Menedemus, Cleanthes, Telephus, alijque plures, qui pro morionibus sua ætate habitati sunt. Quid dicam de Phaurimo illo Philosopho sanctissimo qui apud Gellium leges duodecim tabularum irridebat, tam nulla ratione, quam euidenti? At verò plus officiet vir vnus optimi sub opinione atque exemplo malo, quam millies mille ex professo improbi. Quapropter Socratis vita atque institutum pernitiota fuere mortalibus, vt aliud quicquam quod pessimi fuerit exempli. Vixit enim sibi vni prorsus, non Reipublicæ, non suis neque etiam filiis. Hi enim qui laboribus suis artes augent, Reipublicæ & posteris sibi que viuunt laudabili labore, qui verò opes congregant, filiis aut suis: at hic omnia ad sui ipsius commodum instituit, vt gloriam sine labore, vt eruditus absque studiis, vt potens absque periculo, vt laute viueret sine tædio parandarum custodiendarumque opum. Contempsisse omnes, & suos etiam & filios, & omnia, quis non videt? quem pessimum virum fuisse constat. At nunc si videas duos homines alterum artificem, alterum canillationibus artem irridentem, quis tam excors est, aut venitatis hostis qui priorem non frugi hominem dicat, alium autem nebulonem? Huiusmodi autem disciplina hodie etiam omnes præclari viri opprimuntur: vt non vno mortis genere dignus fuerit, tanti sceleris auctor. At cur illi tantum seu genius seu dij fauerint non hic est locus disserendi. Et est certè magna, & ardua quæstio, quasi Dij rebus humanis inuideant, aut illæ nulla prouidentia regantur.